

glexerit, si res, de qua agitur, si unciam auri vel infra valere constiterit, illi, cui res debita est, idem saio de suo auri solidum reddat. Si certe plus valuerit, per singulas uncias singulos solidos pro sua tarditate persolvat. Certe supra duas uncias usque ad libram auri eadem res valere probatur, decem flagella suscipiat. Ac sic crescente librarum numero auri, crescat et poena flagelli. Iidem vero saiones quum pro causis alienis vadunt, si minor causa est et persona, duos caballos tantum ab eo, cuius causa est, accipiat fatigandos. Si vero maior persona fuerit et causa, non amplius quam sex caballos, et pro itinere, et pro dignitate debebit accipere.

XXV. — *Flavius Recesvintus Rex.*

Quod omnis qui potestatem accipit iudicandi, iudices nomine censatur ex lege.

Quoniam negotiorum remedia multimodae diversitatis compendio gaudent, adeo dux, comes, vicarius, pacis assertor, tiufadus, millenarius, quingentenarius, centenarius, decanus, defensor numerarius, vel qui ex regia iussione, aut etiam ex consensu partium iudicem in negotiis eliguntur, sive cuiuscumque ordinis omnino persona cui debite iudicare conceditur, ita omnes in quantum iudicandi potestatem acceperint, iudices nomine censeantur ex lege: ut sicut iudicii acceperint iura, ita et legum sustineant, sive commodum, sive damna.

XXVI. — Vt omne vinculum quod post datum iniustum iudicium a causidicis fuerit exactum, habeatur invalidum.

Vidimus interdum iustitiam ab iniquis iudicibus et suo loco seclusam, et debito vigore solutam: iniustitiam autem et loco iustitiae introductam, et multis modis decretorum vinculis adligatam. Quidam enim postquam iudicia iniusta conscripserint, aut unam, aut ambas causantium partes placitorum inter se nexibus ligant: ne in iuste datum iudicium quandoque iusta contentione resolvant; adeo ubi non directus et beneplacitus est convenientiae modus, sed ubi pro comprimenda iuste causantis intentione, vel voce reperiuntur quocumque modo definitiones, vincula conligata omnibus modis habeantur invalida, nec sint alicuius adinventionis connexionem firmata.

XXVII. — *Flavius Recesvintus Rex.*

Vt iniustum iudicium et definitio iniusta regio metu, vel iussu a iudicibus ordinata non valeant.

Nonnumquam gravedo potestatis depravare solet iustitiam actionis, quae dum saepe praevalet, certo est quod semper nocet. Quia dum frequenter vigore ponderis iustitiam premit, numquam in statu suae rectitudinis hanc redire permittit. Ideoque quia saepe principum metu vel iussu solent iudices interdum iustitiae, interdum legibus contraria iudicare: propter hoc tranquillitatis nostrae uno medicamine concedimus duo mala sanare, decernentes ut quum repertum fuerit, qualemcumque scripturae contractum, seu quodcumque iudicium non iustitia, vel debitis legibus, sed iussu aut metu principum esse confectum; et hoc, quod obvium iustitiae vel legibus iudicatum est, atque concretum, in nihilo redeat, et eos qui iudicaverint, vel hoc facere coegerint, nullius infamiae nota conspergat, vel rei alicuius dampnum affligat; qui tamen iudices tunc erunt a legum damnis immunes, si se iuramento firmaverint, non sua pravitare, sed regio vigore nequiter iudicasse.

XXVIII. — *Flavius Recesvintus Rex.*

De data episcopis potestate distringendi iudices nequiter iudicantes.

Sacerdotes Dei, quibus pro remediis oppressorum vel pauperum divinitus cura commissa est, Deo mediante testamur ut iudices perversis iudiciis populos opprimentes paterna pietate commoneant, quo male iudicata meliori debeant emendari sententia. Quod si ii qui iudicia-

ria potestate funguntur, aut iniuste iudicaverint causam, aut perversam voluerint in quolibet ferre sententiam: tunc episcopus, in cuius hoc territorio agitur, convocato iudice ipso, qui iniustus asseritur, atque sacerdotibus, vel idoneis aliis viris, negotium ipsum una cum iudice communi sententia iustissime terminet. Quod si perversa contentione iudex ipse permotus iniquum a se datum iudicium, exhortante episcopo, noluerit reformare in melius, tunc episcopo ipsi licitum erit iudicium de oppressi causa emittere, ita ut quid a iudice ipso perverse iudicatum, quidve a se correctum extiterit, in especiali formula iudicii sui debeat adnotari. Sicque idem episcopus, et eum qui opprimitur, et emissum a se de oppressi causa iudicium nostris procure dirigere sensibus pertractandum, utque pars videatur veritatis habere statum, glorioso serenitatis nostrae oraculo confirmetur. Iam vero si iudex eum, qui male opprimitur, episcopo dare praesumpserit, quomodo nostrae gloriae debeat praesentari, iudex ipse duas auri libras nostrae gloriae debebit partibus persolvere.

XXIX. — *Flavius Cintasvintus Rex.*

Vt iudex, si a quocumque fuerit pulsatus, noverit se petenti reddere rationem.

Iudex a quocumque si fuerit persona pulsatus, sciat se, vel ante comitem civitatis, vel ante eos, quos ad personam suam comes eligerit, rationem plenissimam legali ordine redditurum. Sane si regia in hoc negotio fuerit postulata praecipio, remoto episcopo, aliisque iudicibus, causam, qui fuerint iudices instituti, terminare curabunt. Et si coepa iam aut finita, seu apud sacerdotem, seu apud comitem actione, causidicus ille iterum cum regali iussione occurrerit, is qui causam iudicare coepit, seu finivit, illis rei gestae redditurus est rationem, qui per regium decretum instituti sunt iudices, quatenus si male iudicasse cognoscitur, iuxta leges satisfaciatur petitori. Certe si iniuste fuerit advexatus, legali se noverit petitor sententia damnaturum.

XXX. — *Flavius Recesvintus Rex.*

De damnis iudicum aliena contingentium.

Quum constet iudices remediorum causa esse creatos, quidam ex his per contrarium, quod debuerint iudicii aequitate defendere, in latis contendunt praesumptionibus impugnare. Accepta namque auctoritate iudicis praesumunt non debitam in alienis rebus exercere licentiam, et pro quibuslibet non metuant alienorum bonis in ferre dispendia noxae potestatis. Proinde quicumque iudicum contra iussa, et ordines legum de alienis rebus quippiam auferre, vel in eis aliquid noxium praesumpserit agere, iuxta omnem censuram dampni, qua poterant alios iudicare, severitas illos legis debeat condemnare.

XXXI. — *Flavius Recesvintus Rex.*

De his qui regiam contempserint iussionem.

Quicumque ingeniorum regiam iussionem contempnere invenitur, aut taliter se egisse probatur quod sub calliditatis aliqua fictione proponat, et dicat eandem iussionem se nec vidisse, nec accepisse; dum calliditatis huius fraus manifeste patuerit, si nobilior persona est, tres libras auri fisco persolvat: si autem talis est, cui non habeat unde hanc rei summam adimpleat, sine suo infamio dignitatis C. ictus flagellorum accipiat. Quod si eventus aegritudinis, commotio tempestatis, inundatio fluminis, conspersio nivis, vel si quid inevitabile noxae rei obviasse veris patuerit iudicis; non erit reus regiae iussionis, aut dampni indictis, cui obvians fuit causa manifestae necessitatis.

XXXII. — Quomodo iudex pro examine caldariae causas perquirat.

Multos cognovimus querelasse ab ingenuis multa mala pati, credentes in trecentorum solidorum numero quaestionem agitari: haec nos modo per salubrem ordi-

nationem censemus, et quamquam parvae rei sit factum ab aliquo crimen, eos per examinationem caldariae a iudice districtos pervenire ordinamus, et dum facta temeritas patuerit, iudex eos quaestionari non dubitet, et dum suam dederit professionem, superiori legi subiacet. Quod si per examinationem caldariae dignus apparuerit, qui impetitur nullam pertimescat calumniam. Hic quoque, et de suspectis habitis personis qui ad testimonium venerint dicendum, ordo servabitur.

II. TITVLVS.

DE NEGOTIORVM EXORDIIS.

I. Quod nullus se ideo denegare poterit respondere petenti, quare causam cum petentis auctore non dixerit. — II. Vt nullo audientia clamare aut tumultu turbetur. — III. Vt de plurimis litigatoribus duo eligantur, qui suscepta valeant expedire negotia. — IV. Vt ambae partes causantium a iudice vel saione placito distringantur, quo possint ad prosequendum negotium pariter convenire. — V. Vt ii, qui negotia sua iudicialiter incipiunt finienda, nullatenus pro his inter se praetire postea citra iudicium audeant. — VI. Quod ab utraque causantium parte sit probatio requirenda. — VII. De quantitate itineris, quo alium quisque innocentem fatigare praesumpserit. — VIII. Si quilibet ex alterius iudicis potestate in alterius iudicis territorio habeat causam. — IX. De his qui in causis alienis patrocinare praesumpserint. — X. Vt petenti servo alieno respondere ingenuus non recuset.

I. — Quod nullus se ideo denegare poterit respondere petenti, quare causam cum petentis auctore non dixerit.

Nullus quemcumque repetentem hac obiectione suspendat, ut dica ideo se non posse de negotio conveniri, quia ille qui pulsatur, causam cum eius auctore non dixerit, nec eum aliqua repetitione pulsaverit, excepto si legum tempora obviare monstraverit.

II. — *Flavius Cintasvintus Rex.*

Vt nullo audientia clamore aut tumultu turbetur.

Audientia non tumultu aut clamore turbetur, sed in parte positus qui causam non habent, illi soli in iudicio ingrediantur, quos constat interesse debere. Iudex autem si elegerit auditores alios secum esse praesentes, aut fortem causam, quae proponitur, cum eis conferre voluerit, suae sit potestatis. Si certe noluerit, nullus se in audientiam ingerat, partem alterius quocumque superfluitate, aut obiectu impugnaturus, qualiter uni parti nutririi possit impedimentum. Quod si admonitus quicumque a iudice fuerit, ut in causa taceat, ac praestare causando patrocinium non praesumat, et ausus ultra fuerit parte cuiuslibet patrocinari; decem auri solidos eidem iudici profuturos coactus exolvat. Ipse vero in nullo resultans, contumeliose de iudicio proiectus abscedat.

III. — Vt de plurimis litigatoribus duo eligantur, qui suscepta valeant expedire negotia.

Si pars adversariorum litigatores una plures habeat, et alia pauciores, iudicantis inter eos erit electio, ut utraque partes impugnantes se invicem eligant, qui eorum negotia suscipiant. Quia omnes ad causam dicendam consurgere non debebunt, sed, ut diximus, ab utraque parte electi in iudicio ingrediantur, ut nulla pars multorum intentione, aut clamore turbetur.

IV. — *Flavius Cintasvintus Rex.*

Vt ambae partes causantium a iudice vel saione placito distringantur, quo possint ad prosequendum negotium pariter convenire.

Saepe negligentia iudicum vel saionum, dum duarum partium sponso non exigitur, una pars superflue convexatur. Nam occurrente uno ad placitum, et alio differente, non parum dispendium uni parti concutitur. Statuimus ergo cunctosque iudices, vel quibuscumque iudicandi potestas est, commonemus, ut quotiens pro quocumque negotio pro sponsonem placiti constituendum est tempus, quando aut ubi causa dicatur, vel de-

T. I.

bitum fortasse reddatur: pars utraque, hoc est, tam petentis quam petiti, ita placito distringatur, ut in constituto die, aut per se, aut per mandatarios suos praesti sint in iudicio, qualiter aut propositum negotium finiatur, aut debitum reformetur. Et pars quae se distulerit, ac sese a praefinito die suspendit, aut si infirmitas eum, vel itineris necessitas impedit, et hoc ipsum iudici, aut causidico suo non intimaverint, neque ad peragendum negotium infra tempus alia lege constitutum occurrerit, stante negotio, poenam placiti sui illi cogatur exolvere, quem iuxta suam promissionem iudicio adesse constiterit. Quod si iudex haec aut saio adimplere neglexerit, et unam partem placito distringens, alteram praetermiserit, poenam illam, qua illum damnare voluit, quem solum sub placito missit, de suo illi adimpleat, cui placitum visus est exegisse. Certe si in damno partis alterius placitum, quod ab altero exegit, alteri parti iudex vel saio reddiderit, aut fortasse ruperit vel absconderit, poenam quidem, quae in placito inserta fuerat, de suo illi persolvat, pro cuius causa conscriptum placitum esse constabat: actionem tamen illi cui competit, peragendam insistat: damnum sane, quod per placitum in nomine iudicis aut saionis institutum esse dinoscitur, non ad saionem vel iudicem ex omnibus pertinebit, sed salvo negotio veritatem habentis, medietatem sibi exinde iudex et saio, et medietatem pars petentis per omnia vindicabit.

V. — Vt ii, qui negotia sua iudicialiter incipiunt finienda, nullatenus pro his inter se praetire, postea citra iudicium audeant.

Si coepa causantium negotia dirimentis non terminet discreta censura, non solum difficile sedantur altercantium negotia, sed diversis quassatur obligationibus iustitia perquisita: solent enim plerique, postquam suarum intentionum iurgia principali adpetunt examine finienda, quadam resoluti licentia legalem fugiendum iacturam, ad convenientiae finem deducunt, quam Regis auditibus protulerunt causam. Ne ergo sub fraudis huius argumento pars causantium iudicialis fori aequitatem effugiat, ideo praesenti legis sanctione decernimus, ut quicumque deinceps causam suam contra alium regio intimaverit culmini decernendam, nulla ratione se de iudicio submoveat, ne quamlibet cum suo adversario convenientiam agat; sed tamdiu coepi negotii propositionem intendat, donec regalis clementia speciale partibus iudicium promat. Quod si incohatum negotium coram Principe, vel quos idem Princeps arbitrio suo elegerit, expedire neglexerint, et quacumque cum suo causidico definitionem peregerint, tam petitor, quam pulsator, tantum regiae potestati persolvere se noverint, quantum ille, cuius petitio extiterit, per causam ipsam conquirere poterat: ita videlicet, ut quod rega potestas exinde facere, vel iudicare decreverit, in arbitrio voluntatis suae subiaceat. Simili quoque damno et illi multandi sunt, qui iurgia intentionum suarum iudicali appetum examine finienda, et post causae initium renuentes iudicium de incohato praesumpserint inter se depacitare negotio. Sic quoque ut tam iudex, quam saio dampni ipsius exsolutionem inter se dividere debeant, suoque iure habituram obtineant. Quod si ipsi causidici non habuerint unde damnum ipsum exsolvant, centenos ictus flagellorum uterque accipiat: et sic denuo iudex ille causam ipsam terminandi licentiam habeat. Illos tantumdem a legis huius iactura indemnes esse decernimus, quibus aut regalis iussio licentiam deliberationis induxerit, aut quos iudex ille qui causam terminat, inter se pacificandos absolverit.

VI. — *Flavius Cintasvintus Rex.*

Quod ab utraque causantium parte sit probatio requirenda.

Quotiens causa auditur, probatio quidem ab utraque parte, hoc est, tam a petente, quam ab eo qui petitur, debet inquiri, et quae magis recipi debeat, iudicem dis-

2

cernere competenter oportet. Tamen si per probationem rei veritas investigari nequiverit, tunc ille qui pulsatur, sacramentis se expiet, rem, vel si quid ab eo requiritur, neque habuisse, neque habere, nec aliquid de causa unde interrogatur se conscium esse, vel quidquam inde in veritate scire, nec in quod dicitur, et illi parti cui dicitur, commisisse: et postquam ita iuraverit qui pulsatus est, quinque solidos ille qui pulsavit, et cogatur exsolvere.

VII. — Flavius Recesvintus Rex.

De quantitate itineris quo alium quisque innocentem fatigare præsumpsit.

Removeri debet iniuria ab his, quorum probatur innocentia, et a molestis improborum existere aliena. Proinde quum quisque alium ad Principis conspectum, vel ad discussionem quorumlibet iudicium iniuste compulerit ad prosequendum negotium, et mox probata fuerit non iusta petentis esse contentio, si supra quinquaginta milium, vel infra quinquaginta milia quamlibet parum spatium compulsus iniuste extiterit convexus, quinque solidos pro iniusta tantumdem petitione a petitore percipiat. Si per LX. millia, idem iniustus petitor sex solidos reddat: ac si deinceps crescente decem millium numero, singulorum solidorum crescat et numerus; ut per centum millia indebite fatigato X. solidi a petitore dentur iniusto, sicque ex hoc per L. millia solidos quinque, et per centum millia crescentibus solidis X., usque adeo perveniat summa compositionis, usquequo pervenerit et ductus itineris.

VIII. — Flavius Cintasvintus Rex.

Si quislibet ex alterius iudicis potestate in alterius iudicis territorio habeat causam.

Si quisquam ingeniorum, atque servorum extra territorium in quo commane, in alterius territorio iudicis causationem habuerit; iudex ad cuius ordinationem idem petitor pertinet, epistolam manu sua subscriptam, atque sigillatam eodem iudici dirigat, ut qua præmoneat, ut negotium querelantis audire et ordinare non differat: et si ad unam conventionem ipse rationem eius implere distulerit, tunc ille iudex, de cuius territorio est ille qui petit, de rebus iudicis illius ad quem dicitur epistolam, in quibuscumque locis reperire poterit, tantum usurpet, quantum res illa esse dinoscitur, de qua petitor que elam intulerit, quod eidem petitori possidendum non hominibus dabit. Quam rem ita possideat qui acceperit, ut, conservatis aliis rebus, de solis frugibus usum et expensas obtineat. Quum vero ille iudex qui ad epistolam alterius iudicis negotio querelantis prior fecerit, ea quæ ille iudex qui commonuit de rebus eius abstulerat, ipse alteri iudici sine reardatione restituat. De frugibus vero rationabiliter expensis, ille qui expendit, nihil reddat. Quod si postea iustissime discusso negotio, inveniat iudex ille per iniustam petitoris querelam rem indebite amississe, tunc iniustus petitor rem quam acceperit, illi iudici, cuius fuit, ex integro reddat, et aliud tantum de suo ei coactus exsolvat. Quod si iudex ille, qui dilationem facit, rerum suarum possibilitatem in vicino non habeat, unde alter iudex, qui commonuit, petitor repenset, tunc de territorio eiusdem iudicis differentis cuiuscumque rem tantum auferat, quantum petenti consuet, aut certe ob signatam petitori faciat cessionem, in qua pignoris quantitate adnotet, per quam petitor præsumptis sibi habeat potestatem. Dum vero ille, qui pignorat us extiterit, Regi, iudici, vel comiti pro tali fuerit pignore querelatus, eadem pignoris damna, quæ idem suggerens pertulit, in quadruplum ei de suo iudex ipse dilatationis coactus resituat. Quod si de rebus debitoris petitor pignus abstulerit, ad superiorem satisfactionem iudex teneri non poterit. Certe si idem iudex admonitus absque dilatione causam audierit

petitoris, in qua eum perveniat habere nullatenus veritatem, iudicium per quod eus iustitia patuit, evidentibus scriptis emittat, de cuius texto exemplar fideliter translatum, suaque manu scriptum, atque signa unum iudici, a quo admonitus fuerat, dirigere non moerit. Et si post hoc æquatis iudicium patuerit præsumptio pignoris, ingenuus siquidem ea quæ causa pignoris abstulit, dupplam, id est, amissam rem cum simili re satisfactione restituat. Servus autem, qui talia commisisse detestatur, centum ictus accipiat flagellorum, atque turpiter decalvatus in integrum mox reformet rem, quam causa pignoris occupavit. Illi vero qui ad pignorum conveniunt, si servi sint, et sua sponte concurrerint, centenis et ipsi verberentur flagelli. Si vero ingenui, aliud tantum domino restituant, quantum ei abstulisse probantur, sequestrata illius compositione, qui pignus indebite fecisse convinctur.

IX. — De his qui in causis alienis patrocinare præsumpsit.

Quicumque habens causam ad maiorem personam propterea contulerit, ut in iudicio per illum patrocinium adversarium suum possit opprimere, ipsam causam de qua agitur, et si iusta fuerit, quasi victus perdat: iudex autem, mox ut viderit quemcumque potentem in causa cuiuslibet patrocinari, liceat ei de iudicio eum abicere. Quod si potens contemserit iudicem, et proterve resistens, de iudicio egredi, vel locum dare iudicanti noluerit; potestatem habeat iudex ab ipso potente duas auri libras, unam sibi, alteram parti eius, cui potens ipse adversarius extitit, profitoras exigere, et hunc cum iniuria violenta a iudicio propulsare. Reliqui vero ingenui sive servi, qui ad iudicium a iudice de iudicio abscondere non conentur; singuli publice extendantur, et quinquagenis flagellorum ictibus verberentur.

X. — Flavius Cintasvintus Rex.

Vt petenti servo alieno respondere ingenuus non recusat.

Superflue excusantem lex ideo corripit, ut omnis præsumptio coerceri facillime possit. Nonnulli enim ingenui servos alienos lædere prompti sunt, et ad servi petitionem iudicio adesse contemnunt, asserentes se utique cum eo causam dicere non debere, a quo eis componi non poterit, si viciores extiterint. Sed ne per hanc dilationem dum etiam servi dominus supra quinquaginta milia absens est, aut utilitate domini sui impeditum, aut ipse servus indebite perferat forsasse periculum: id consultissime decernendum e egimus, ut nulli penitus audientia dengetur, sed cuiuscumque servus cum quolibet se adseruerit, seu suum sive domini sui, vel domini habere negotium, statim ille contra quem habet, præsumptus esse ad iudicium compellatur, aut petenti proculdubio responsurus, aut compositionis summam legatim impleturus, si a servo fuerit iustissime superatus: ita ut si servus, quod proponit, convincere non poterit, ingenuus idem conscientiam suam expiet sacramentis, se nihil horum, unde appellatur, scire vel habere, neque fecisse vel fieri præcepisse. Et post tale sacramentum servos pro iusta petitione, sicut et ingenuos, componere non moretur. Ne tamen pro eadem compositione ultra resultet, dominus eius tantum, ut si minor est actio, quam decem solidi possum valere, servos compositionis medietatem, hoc est, duos semis solidos cogatur exsolvere. Quod si in ra L. milia servi dominum esse constiterit, non a iter servus ingenuum petere poterit, nisi forte per se dominus eius in iudicium adesse non possit, et ad prononendum a servo negotium epistolam manu sua subscriptam per eundem servum iudici destinaverit. Quod si servus domini sui proponens negotium, aut fraude, aut nigritia domini sui vitaverit, aut perdidit causam, liceat domino eius eandem vitiatam causam, aut per se, aut per legitimum mandatarium suum resolvere, et iustissimis iterum vocibus partis suæ negotium reparare.

III. TITVLVS.

DE MANDATORIBVS ET MANDATIS.

1. Quod Principum et Episcoporum negotia non per eos, sed per subditos sint agenda. — II. Vt iudex a litigatore perquirat, ut um propria, an aliena sit causa prolata. — III. Vt qui per se causam non dicit, scriptis assertorem informet. — IV. Vt in personis nobilibus questio per mandatum nullatenus agatur, et qualiter humilior ingenuus, sive servus per mandatum questioni subdatur. — V. Vt si dilationem in causa patitur, qui mandatum fecit, liceat ei immutare mandatum. — VI. Ne causam suscipiat femina per mandatum, licite vero propriam exsequatur. — VII. Vt sicut lucrum, ita et damnum revertatur ad mandatorem: de commodis etiam mandatum accipietis. — VIII. Vt si mortuus fuerit is qui mandatum accepit, commodum illud habere licet accipiant. — IX. Quibus personis potentes et quibus pauperes prosequendis actiones mittant. — X. Quod licet his quibus commissus est fiscus, pro re fiscali, quibus voluerit, exsequendas iniungere actiones.

I. — Flavius Recesvintus.

Quod Principum et Episcoporum negotia non per eos, sed per subditos sint agenda.

Maiorum culminum excellentia quanto negotiis rerum dare iudicium dicit, tanto negotiorum molestiis se implicare non debet. Si ergo Principem vel Episcopum cum aliquibus constiterit habere negotium, ipsi pro suis personis eligant, quibus negotia sua dicenda committat; quæ a tantis culminibus videri poterit contumelia inrogari, si contra eos vilior persona in contradictione causæ videatur adistere. Cæterum, et si Rex voluerit de re quolibet propositionem adsumere, quis erit qui ei audeat ullatenus resultare? Itaque ne magnitudo culminis huius evacuet veritatem, non per se, sed per subditos agat negotium actionis.

II. — Vt iudex a litigatore perquirat, utrum propria, an aliena sit causa prolata.

Iudex primum a litigatore perquirat, utrum propriam causam dicat, an alienam fortasse susceperit. Interrogator etiam cuius mandatum habeat, et postquam causam iudicaverit iudex, comprehendat in iudicio, quem aut ex cuius mandato audierit negotium prosequenter; ac præterea mandati exemplar accipiat, ut ius assertoris apud se cum iudicis exemplaribus reservandum. Licet tamen illi qui pulsatus est, mandatum a petitore coram iudice potere, ut quam ob causam fuerit iudicio presentatus, vel quid tenor mandati contineat, indubitanter possit agnoscere.

III. — Vt qui per se causam non dicit, scriptis assertorem informet.

Si quis per se causam dicere non poterit, aut forte noluerit, assertorem per scripturam suæ manus, vel testum signis, aut subscriptionibus roboratum dare debet. Ita ut si idem assertor aliquid concludium fecerit qualiter ab adversario suo possit in iudicio superari, aliud tantum de facultate sua mandatori rest tuat, quantum de rebus eius perdidit aut everit, aut etiam quæ ipse mandator obtinere, vel adquire debuit exsolvat. Servo tamen non licebit per mandatum causas quorumlibet suscipere, nisi tantum Domini vel Dominae suæ, Ecclesiarum quoque, vel pauperum, sive etiam negotiorum fiscalium de mandato. Quod si vero per tepiditatem, aut fraudulentiam iudicium, sive falsorum testimonium aliquid ex voce mea inutilitatum fuerit, tunc robore vocis meæ adfuturam illi reservetur, facto mandato.

IV. — Flavius Cintasvintus Rex.

Vt in personis nobilibus questio per mandatum nullatenus agatur, et qualiter humilior ingenuus, sive servus per mandatum questioni subdatur.

Questionem in personis nobilibus nullatenus per mandatum patmur agitari. Ingenuum vero, et pauperem personam, atque in crimine iam ante repertam non aliter

ex mandato subdendam questioni permittimus, quam ut mandator de eadem persona, non servo, sed ingenuo per mandatum manu sua, vel trium testium adiutorie firmatum specialiter committat agendum. Et si fortasse innocentem fecerit tormentis affligi, sciat se idem mandator censura illius legis noxium reineri, quæ continetur in libro sexto, titulo primo, capitulo secundo, ubi præcipitur pro quibus et quilibet rebus ingenuorum personæ subdendæ sunt questioni. Reliquas autem criminales causas ita per mandatum liceat committendas, ut, sicut prædictum est, contra personam ingenui ingenue assertori questioni actio committatur. Servum vero per mandatum subdere questioni, tum ingenuo, quam servo iure conceitur: hac videlicet constitutione servata, ut si tormenta vel damna innocens fuerint inrogata, ad omnem satisfactionem mandator iudicis compellatur instantia. Nec dimittendus est tamen is qui mandatum accepit, donec aut mandator sit coram iudice præstus, aut satisfactionem adimpleat legum. Et tamen qui questionem ex mandato agitatorus est ante se velut proprius dominus per pacti vinculum a iudice se noverit obligandum.

V. — Vt si dilationem in causa patitur qui mandatum fecit, liceat ei immutare mandatum.

Qui causam alicuius ex mandato susceperit, ut negotium peragatur insistat; quod si proraliit tempus, et causa, quæ forsitan celerius poterat expediri, occasione superfluis, a se frangit dilatione suspenditur, mandator revertatur ad iudicem. Et qui mandatum acceperat, si malitiae alicuius aut cupiditatis, vel negligentiae vitio, adversario præsentate, vel iudice susceptum negotium ultra decem dies abque præcepto iudicis dilataverit, is qui mandaverat, aut per se proferre, aut alicui quem elegerit, suam liceat committere actionem.

VI. — Antiqua.

Ne causam suscipiat femina per mandatum, licite vero propria exsequatur.

Femina per mandatum causam non suscipiat, sed suum proprium negotium in iudicio proponere non vetatur. Maritus sane non sine mandato causam dicat uxoris, aut certe ante iudicem se talis obliget cautione, quod uxor negotium eius non revolvat; et si revolverit, damnum quod cautio demonstrat, maritus excipiat, qui sine mandato causam dicere præsumpsit uxoris. Quod si maritus causam, quam sine mandato coniugis suæ prosequatur, amiserit, uxor nullum præiudicium pertimescat; sed aut per se negotium prosequatur, aut cum voluerit ea quæ ipsi competunt prosequenda commendet. Ita ut si marito per iudicium iuste superato, de novo ad causam dicendam adversarium illum, qui victor extiterat, pars mulieris crediderit convexandum, atque in iudicio secundo patuerit eundem eius maritum non indebite victum fuisse; noverit eadem mulier non solum se iudici, qui causam prius examinavit, sed et illi causam dico, quem iterum ad iudicium compulsi, iuxta legis sententiam esse satisfacturum.

VII. — Antiqua.

Vt sicut lucrum, ita et damnum revertatur ad mandatorem: de commodis etiam mandatum accipietis.

Sicut lucrum, ita et damnum iuxta conditionem mandati ad eum, qui causam mandaverit, revertatur; ita ut qui causam ex mandato dixerit, et fideliter, ut negotium peragatur, institerit, ab eo mandator nec mandatum repetat, nec ipsam postea ad alium transferat actionem. Quia iniustum est, ut mercedem sui laboris amittat, qui pro suscepta causa fideliter elaborasse cognoscitur; ita et is qui negotium prosecutus est, ante causæ principium cum mandatore definit, quantum pro commodo sui laboris finito negotio ab eo sit accepturus. Quod si receptam rem prosecutor infra tres menses reddere ne-

glexerit mandatori, quidquid de eadem causa per quamcumque definitionem consequi potuit, perdat, et mandator iudicis instantia rem sibi competentem accipiat.

VIII.—Vt si mortuus fuerit is qui mandatum accipit, commodum illi debitum hæredes eius accipiant.

Qui mandatum fecit, si mortuus fuerit antequam causa dicatur, mandatum quod fecerat non valeat; et qui mandatum suscepit, si antequam causa dicatur, fuerit morte præventus, mandatum nullam habeat firmitatem. Quod si antequam moreretur causam dixisse dinoscitur, atque per suam instantiam ad fines usque legitimos perduxerit, et tamen quocumque casu intercedente, nec dum perfinita res, aut exacta remansit, si ad hunc forte terminum fuerit causa deducta, quo eam ille qui per mandatum sequutus est, iam ante acceleraverat, omne lucrum quod ipse fuerat habiturus, hæredibus eius a mandatoris partibus exsolvat.

IX.—*Flavius Cintasvintus Rex.*

Qualibus personis potentes, et qualibus pauperes prosequendas actiones iniungant.

Nulli liceat potentiori quam ipse est qui committit, causam suam ulla ratione committere, ut non æqualis sibi eius possit potentia opprimi vel terri. Nam etiam si potens cum paupere causam habuerit, et per se adserere noluerit, non aliter quam æquali pauperi, aut fortasse inferiori a potente poterit causa committi. Pauper vero, si voluerit, tam potenti suam causam debeat committere, quam potens ille est, cum quo negotium videtur habere.

X.—*Flavius Cintasvintus Rex.*

Quod liceat his, quibus commissus est fiscus, pro re fiscali quibus voluerit exsequendas iniungere actiones.

Nullus quidem rerum fiscalium temerator debet existere. Tamen quandoquidem si pro iure fiscali contra quemlibet provenire intentione moveri, ille cui commissa res est, apud comitem civitatis, vel iudicem habeat licentiam legaliter negotium prosequendi: quem si absentem a loco, ubi res agenda est, esse contigerit, vel occasio eum quæcumque suspenderit, aut etiam per se proponere fortasse noluerit, eandem utilitatis publice actionem per mandatum iniungere prosequendam cui elegerit, sui erit indubitanter arbitrii.

IV. TITVLVS.

DE TESTIBVS ET TESTIMONIIS.

I. De personis quibus testificari non licet.—II. Quod testibus sine sacramento credi non possit: et si utraque pars proferat testem, cui debeat credi: et si vera testificare neglexerit testis.—III. De investiganda iustitia, si aliud loquitur testis, aliud scriptura.—IV. Servo non credendum, et qualibus regis servis debeat credi.—V. Ne testis per epistolam testimonium reddat, et qualiter iniungi testimonium possit.—VI. De his, qui falsum testimonium dicunt.—VII. De his, qui falsum probantur testimonium protulisse, et de spatio sex mensium quo testem liceat infamare, sive aut super mortuum non liceat testimonium dare.—VIII. De his, qui ad falsum testimonium dicendum alios provocant, vel servos alienos ad libertatem impellunt.—IX. In quibus causis possint testificari servi.—X. De his qui se placitum scriptis obligant, ne pro aliorum causis veritatem dicant.—XI. De quibus annis poterint testificari minores.—XII. Vt contra extraneos parentela et propinquitas testimonium minime dicant.

I.—*Flavius Cintasvintus Rex.*

De personis quibus testificari non licet.

Homicidæ, malefici, fures, criminosi, sive venefici, et qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad sortilegos, divinosque concurrerint, nullatenus erunt ad testimonium admittendi.

II.—Quod testibus sine sacramento credi non possit: et si utraque pars proferat testem, cui debeat credi: et si vera testificare neglexerit testis.

Iudex, causa finita, et sacramento secundum leges, sicuti ipse ordinaverit, a testibus dato, iudicium emittat: quia testes sine sacramento testimonium perhibere non possunt. Quod si ab utraque parte testimonia æqualiter proferantur, discussa prius veritate verborum, quibus magis debeat credi, iudicis extimabit electio. Certe si admonitus quisquam a iudice de re, quam novit, testimonium perhibere noluerit, aut si nescire se dixerit, id ipsum etiam iurare distulerit, et per gratiam, aut per venalitatem vera suppresserit; si nobilis fuerit, testimonium postea in nullo iudicio dicere permittatur, nec testimonium ipsius recipiatur ulterius. Quod si, licet ingenuæ, minoris tamen fuerint dignitatis personæ, et testimonio careant, et centum flagella infamati suscipiant: quia non minor reatus est vera suppressere, quam falsa confingere.

III.—*Flavius Cintasvintus Rex.*

De investiganda iustitia, si aliud loquitur testis, aliud scriptura.

Quotiens aliud testis loquitur quam ea scriptura continet, quam ipse subscripsisse dinoscitur; quamvis contra scripturæ textum diversa verborum sit a testibus impugnatione, scripturæ tamen potius constat esse credendum. Quod si testes dixerint eam, quæ offertur, scripturam minime roborasse, prolator eius probare debeat, utrum ab eisdem testibus scripturam fuisse roboratam constiterit: et si hoc ipse quibuslibet aliis documentis convincere fortasse nequiverit, experientia iudicis id requirere sollerter curabit; ita ut pro manus contropatione testis ille qui negat, iudice præsentate scribat, qui etiam plus cogatur scribere, ut veritas facilius innotescat, ubi scilicet, et hoc omnino quærendum est, ut scripturæ quærantur, et præsententur quas ante fecit, sive scripsit. Et si tota ista defecerint, tunc conditionibus editis iurare non differat, quod nequaquam inibi subscriptor accesserit: et si post hoc quocumque modo patuerit pro extinguenda veritate mentitum eum fuisse, falsitatis notatus infamia, si honestior persona fuerit, quantum ille perdere potuerat cuius parti testimonium perhibere contempsit, tantum dupla ei satisfactione compellatur exsolvere. Si certe inferior est persona, et unde duplare non valeat, et testimonium amittat, et centum flagellorum ictus extensus accipiat. In duobus autem idoneis testibus, quos prisca legum recipiendos sanxit auctoritas, non solum considerandum est quam sint idonei genere, hoc est, indubitanter ingenui, sed etiam si sint honestate mentis perspicui, atque rerum plenitudine opulenti. Nam videtur esse cavendum, ne forte quisque compulsus inopia, dum necessitatem non tolerat, præcipitanter periurare non metuat.

IV.—*Flavius Cintasvintus Rex.*

Servo non credendum, et qualibus regis servis debeat credi.

Servo penitus non credatur, si super aliquem crimen obiecerit, aut etiam si dominum suum in crimine impetierit. Nam etiam si in tormentis positus exponat quod obiecit, credi tamen illi nullo modo oportebit, exceptis servis nostris, qui ad hoc regalibus servitiis mancipantur, ut non immerito palatinis officiis liberaliter honorantur, id est, stabulariorum, guillonariorum, argentariorum, cocorumque præpositi, vel si qui præter hos superiori ordine vel gradu præcedunt. Quos tamen omnes et regia potestas iugiter non habet ignotos, et nullis eos esse constat pravitatibus aut criminibus implicatos, quibus utique vera dicendi vel testificandi licentia, sicut et cæteris ingenuis, hac lege conceditur. De reliquis autem ad palatinum servitium pertinentibus, quicumque aliquem ad testimonium crediderit advocandum, non aliter ei fides adcommoabitur, nisi regie potestatis

electio iusta et honesta permisisset esse credendum, quod ille a se noverit esse testificandum.

V.—*Flavius Cintasvintus Rex.*

Ne testis per epistolam testimonium reddat, et qualiter iniungi testimonium possit.

Testes non per epistolam testimonium dicant, sed præsentem, quam noverunt, non taceant veritatem. Nec de aliis negotiis testimonium dicant, nisi de his tantummodo, quæ sub præsentia eorum acta esse noscuntur. Certe si iidem testes, aut parentes, vel amici, sive ætate decrepiti, vel infirmitate gravati, aut in aliena et longinqua provincia constituti de re, quæ ipsis est cognita, testimonium aliquibus iniungendum putaverint; et si non sint omnes de uno territorio qui testimonium dicendum committunt, in eo tamen territorio, ubi ille commanet qui plus ex illis videtur idoneus, congregentur, et ante eiusdem territorii iudicem, vel coram his, quos iudex elegerit, et mandatum faciant idoneis ingenuis, quibus voluerint, et de quo illis est cognitum ad personam suam per conditionem seriè iurare procurent, qualiter quibus testificandi vicisitudo committitur, id indubitanter, ubi necesse fuerit, suo sacramento confirmet, quod iurare mandatores suos iustissime et evidentissime per semetipsos audiverint: aliter autem mandatum de talibus negotiis editum, apud omnes iudices semper erit invalidum.

VI.—*Flavius Cintasvintus Rex.*

De his qui falsum testimonium dicunt.

Si quis contra alium falsum testimonium dixerit, et in mendacio invenitur, aut certe si ipse dixerit quia falsum testimonium dedit; si maioris loci persona est, det illi de propria facultate sua contra quem falsum testimonium dixerat, tantum quantum per testimonium eius perdere debuit, et testificare ultra non noverit. Quod si minoris loci persona est, et non habuerit unde componat, ipse tradatur in potestatem illi, contra quem falsum testimonium dixerat, serviturus. Nam omnino per talis testimonium, qui se primitus false testificasse prodiderit, causa ipsa revolvitur non poterit: excepto si aliter evidentior ordo veritatis claruerit, id est, aut per legitimum alium et melioratum testem, aut per iustos et legales ordines scripturæ. Quicumque autem, vel beneficio corruperit aliquem, vel circumventionem qualibet falsum testimonium dicere persuaserit, dum evidens huius rei commentum patuerit, tam auctor sceleris, qui in interitum intendit alterius, quam is, qui rerum aviditate cupidus testificandæ præbuit falsitatis adsensum, pari simul sententia falsarii teneantur.

VII.—*Flavius Cintasvintus Rex.*

De his qui falsum probantur testimonium protulisse, et de spatio sex mensium quo testem liceat infamare, sive ut super mortuum non liceat testimonium dare.

Falsorum testium obstinata nequitia nescit habere modum falsa dicendi, sed crimini crimen nititu copulare periurii. Et ideo, quia detestandos huiusmodi sceleris præsumptores divina lex mortis sententia damnat, illos scilicet quos contra fratrem suum falsum dixisse testimonium potestas iudiciaria comprobat: nos proinde tam nefariis personis ausum secundo testificandi subducimus, quos non humanis, sed divinis vocibus iam mortuos adprobamus. Et ideo si quis testimonium pro qualibet re in præsentia iudicis dederit, et causa per eius testimonium adprobata extiterit; si forte in postmodum favore, terrore, vel munere pulsatus illius causidici, qui victus primum per eius testimonium fuit, dicat se idem testis falsum dixisse testimonium, quod primitus protulit, et secundo aliud testificare, unde prima quæ dixerat subvertere velit; stante superiori lege, id novella tenendum sanctione præcipimus, ut nec testificare illi secundo sic licitum, nec causa ipsa, de qua ipse periurus testis antea iuraverat, ulterius per eius testimonium

resolvatur: excepto si aliis melioribus et legitimis testibus, seu etiam veridicis scripturis revolutio ordinatæ causæ possit accidere, ut secunda determinatione iudicii per alium, sicut dictum est, testem, vel verissimam scripturæ ostensionem, licentia sit negotium reparandæ causæ retexere. Nam et si quis causæ suæ cupiens adcelerare propositum, testem in iudicio protulerit; si ille contra quem causam habet, præsens adfuerit, et quid in reprobatione oblatis testibus opponat, nescire se dixerit, res siquidem ipsa, de qua agitur, per oblatorum testium testimonium in iure illius, ad cuius partem testificaverunt, iudices instantia contradatur. Illi tamen personæ, quæ se in derogatione prolatis testibus nescire dixerit quid obicere possit, licentiam consulta pietate porrigimus, qualiter infra sex menses, et vitia ignorati testis perquirat, et causæ suæ negotium reparare intendat. Quod si infra sex menses non potuerit, et vitia prædictorum testium quærere, et coram iudice eorum infamiam comprobare, transactis sex mensibus, nullum iam ei ultra temporis spatium dabitur, quo aut prolato testem infamem esse convincat, aut alium testem pro eadem causa in iudicio proferat: sed quod testimonio eorum extiterit adligatum, valebit perpetuo modis omnibus inconvulsis. Et tamen si is, cui licitum est per sex menses vitia testium accusare, legitimam fortasse infra constitutum tempus probationem invenerit, qua prolato contra se testem infamem possit convincere, supra eos quoque viventes potuit infamare, licitum erit causidico adductum testem producere. Nam si aliquem de numero illorum testium, qui primum iurasse noscuntur, constiterit fuisse defunctum, nullum super mortuum testimonium dabitur, ubi ipse, qui defunctus est, aut reum se criminis esse agnoscens subscripsit, aut iusto æquitatis iudicio publice denotatus apparuit. Et hæc quidem de infamatione, qua quisquis ille obnoxius ad dicendum testimonium non admittatur, dicta sufficiant. Ceterum si debitum defuncti, vel præsumptio accusetur, iuxta legem aliam licitum erit causidico, aut per veridicum testem, aut per legitimam scripturam debitum mortui, vel præsumptionem convincere, et propositum partis suæ negotium consummare.

VIII.—*Flavius Cintasvintus Rex.*

De his qui ad falsum testimonium dicendum alios provocant, vel servos alienos ad libertatem impellunt.

Si quis contra hominem ingenuum, et adversus libertum aliquem provocasse convincitur falsum dicere testimonium, tantum illi componat, quem per falsam testificationem conabatur addicere vel damnare, quantum, si iuste obtinisset, potuerat de statu, vel de rebus eius adquirere. Si vero testis simpliciter ab alio ad testimonium invitatus, false contra ingenuum, atque libertum testificasse dinoscitur, qualiter per eius testimonium in servitum quisque humiliaretur, et tamen ille qui testem protulit, conscius fraudis huius non invenitur, solus testis ipse superiori sententia multandus est, id est, sicut ille qui testem ad falsum testimonium provocavit, ei quem suo testimonio decipere voluit, obnoxius maneat. Ita ut si non habuerit unde componat, in potestate eius cum hoc quod habere videtur, perenniter serviturus tradatur. Id autem, et de illis decernimus observandum, qui ut servos alienos ad libertatem producerent, aut falsum testimonium dixisse reperiuntur, aut eam intentionem adhibere conati sunt, ut ab eis provocati per eorum instantiam ad ingenuitatis libertatem indebitam, possint aliquatenus insultatione venire.

IX.—*Flavius Cintasvintus Rex.*

In quibus causis possint testificare servi.

Quod utilitati multorum est congruum, non est nostræ